



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

20. Alia formula excommunicationis, diversa à superioribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Alia formula excommunicationis, diversa à superioribus.

XX. **E**X auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti, & sanctorum canonum, sanctæque & intemeratæ virginis Dei genetricis Mariæ, atque omnium cœlestium virtutum, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, potestatum, Cherubin ac Seraphin, & sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, & omnium Apostolorum & Evangelistarum, & sanctorum innocentium, qui in conspectu agni soli digni inventi sunt canticum cantare novum, & sanctorum martyrum, & sanctorum confessorum, & sanctarum virginum, atque omnium simul sanctorum & electorum Dei, excommunicamus & anathematizamus hunc furcæ, vel hunc malefactorem, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sequestramus, ut æternis suppliciis cruciandus mancipetur cum Dathan & Abiron, & cum his qui dixerunt Domino Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Et sicut aqua ignis extinguitur, sic extinguatur lucerna ejus in secula seculorum, nisi respuerit & ad satisfactionem venerit. Amen. Maledicat illum Deus Pater, qui hominem creavit. Maledicat illum Dei Filius, qui pro homine passus est. Maledicat illum Spiritus sanctus, qui in baptismo effusus est. Maledicat illum sancta crux, quam Christus pro nostra salute hostem triumphans ascendit. Maledicat illum sancta Dei genetrix & perpetua virgo Maria. Maledicat illum sanctus Michael, animarum susceptor sacrarum. Maledicant illum omnes angeli & archangeli, principatus & potestates, omnisque militia cœlestis exercitus. Maledicat illum Patriarcharum & Prophetarum laudabilis numerus. Maledicat illum sanctus Iohannes præcursor & baptista Christi præcipuus. Maledicat illum sanctus Petrus & sanctus Paulus atque sanctus Andreas, omnesque Christi Apostoli,

simul & ceteri discipuli, quatuor quoque Evangelistæ, qui sua prædicatione mundum universum converterunt. Maledicat illum cuneus martyrum & confessorum mirificus, qui Deo bonis operibus placitus inventus est. Maledicant illum sacrarum virginum chori, quæ mundi vana causa honoris Christi respuenda contempserunt. Maledicant illum omnes sancti qui ab initio mundi usque in finem seculi Deo dilecti inveniuntur. Maledicant illum cœli & terra & omnia sancta in eis manentia. Maledictus sit ubicunque fuerit, sive in domo, sive in agro, sive in via, sive in femita, sive in silva, sive in aqua, sive in Ecclesia. Maledictus sit vivendo, moriendo, manducando, bibendo, esuriendo, sitiendo, jejunando, dormitando, dormiendo, vigilando, ambulando, stando, sedendo, jacendo, operando, quiescendo, mingendo, cacando, flebotomando. Maledictus sit in totis viribus corporis. Maledictus sit intus & exterius. Maledictus sit in capillis, maledictus sit in cerebro. Maledictus sit in vertice, in temporibus, in fronte, in auriculis, in superciliis, in oculis, in genis, in maxillis, in naribus, in dentibus mordacibus, in labris, sive molibus, in labiis, in gutture, in humeris, in armis, in brachiis, in manibus, in digitis, in pectore, in corde, & in omnibus interioribus stomacho tenus, in renibus, in inguinibus, in femore, in genitalibus, in coxis, in genibus, in cruribus, in pedibus, in articulis, & in unguibus. Maledictus sit in totis compaginibus membrorum; à vertice capitis usque ad plantam pedis non sit in eo sanitas. Maledicat illum Christus filius Dei vivi toto suæ majestatis imperio; & insurgat adversus eum cœlum cum omnibus virtutibus quæ in eo moventur, ad damnandum eum, nisi penituerit & ad satisfactionem venerit. Amen. Fiat, fiat. Amen.

FINIS FORMVLARVM.